



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

A Meridie, Hora Considerationis. De excelsis cogitationibus, & actibus
Heroïcis Filiorum Dei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



H O R A
 CONSIDERATIONIS,
 Tempore pomeridiano,
 Diei sextæ.

*De excelsis cogitationibus, & Acti-
 bus heroicis Filiorum Dei.*

Magnus olim spiritualis doctrinæ
 Magister, P. Balthasar Alvarez
 (de quo revelatum erat S. Theresiæ,
 quòd illo tempore, quò ille vivebat,
 nullus illo perfectior in Ecclesia Dei
 esset) inter complura vitæ sanctioris
 axiomata etiam hoc Novitiis suis incul-
 care solebat: *Non degenerandum est ab ex-
 celsis cogitationibus Filiorum Dei: Ut scri-
 bitur in vita ejus. Doctrinam hanc ita
 imbiberat Novitijs ejus Franciscus Pe-
 rez, unus è quadraginta Societatis no-
 stræ Martyribus, quorum modò Ca-
 nonizatio procuratur, ut in ipso cædis,
 mortisq̃ calore id socijs identidem in-
 clamaverit: Eja fratres, non degeneremus
 ab excelsis cogitationibus Filiorum Dei!* Ad-
 notavit id P. Joannes Nadasi, in anno
 dierum illustrium 15. Julii. Fundatur

autem doctrina hæc, primò in illo *Pfal.*
81. Ego dixi, Diu estis, & Filii excelsi omnes:
Deinde in iis verbis *Sap. 3. Cogitatio illo-*
rum apud altissimum: Et tandem in pro-
misso Christi, *Joan. 12. Ego, si exaltatus*
fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Sã
ergo Religiosi sunt Filii excelsi, uti sunt,
non debent degenerare ab excelso spiri-
tu, & consequenter ab excelsis cogita-
tionibus. Si item Religiosi sunt justi,
uti debent esse, cogitatio illorum de-
bet esse apud altissimum, proindeque
excelsa. Si denique Religiosi sunt tracti
à Christo exaltato à terra, cogitationes
eorum debent esse exaltatæ seu excelsæ.
Per cogitationes verò hic non soli actus
intellectûs intelliguntur, sed etiam
actus voluntatis, & resolutiones he-
roicæ, quas ad tria capita reduco,
nempe ad *agere*, ad *pati*, ad *omitte-*
re.

Primum caput excelsarum cogitatio-
num, à Filiis Dei haberi solitarum,
est. *Agere*, hoc est. 1. Elicere desideria
ardentia, & insatiabilia, tolerandi in-
jurias, probra & omnis generis adver-
sitates: hoc desiderium in Christo Filio
Dei totâ vitâ perdurabat, quod colli-
gunt SS. Patres ex verbis ejus, *Luc. 2.*
Baptismo habeo baptizari, & quomodo coar-
ctor, usque dum perficiatur! Desideria ita-
que prædicta sunt cogitationes Filio-
rum Dei excelsæ, utpote in Christo Fi-

lio Dei sublimatae & deificatae. 2. Gloriarī in Cruce Domini nostri Jesu Christi, hoc est, gaudere, & honori ducere omnes despectus, contemptus, injurias, persecutiones, &c. Gloriationem hanc esse excelsam Filiorum Dei cogitationem, probârunt Fratres Domini **JESU**, Apostoli, qui *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quòd digni essent pro nomine **JESU** contumeliam pati.* 3. Peculiariter affici inimicis, omnibusque, qui aliquando molesti exstiterunt, ferventi charitate eos diligere, gratias singulares eisdem à Deo expetere, & omne malum ab illis, & oratione & re, depellere conari. Hæc cogitatio verè est excelsa, quia à Filio Dei pro crucifixoribus orante in Cruce est exaltata. 4. Statuere seipsum centrum odiorum totius mundi, maledictorum, calumniarum, detractorum, cruciatuum, cum tota intensione, & duratione eorum. Et hæc cogitatio excelsa est; superat enim totum mundum, totamque naturam, usitata Filio Dei, qui pro nobis factus est maledictum. 5. Velle alienos defectus sibi attribui; sub nomine suo vulgari; excusationes suas non recipi; à Superioribus damnari & puniri; ex meris suspicionibus, sinistris relationibus, confictis conjecturis traduci, & tandem facere omnes absolutos famæ suæ Dominos, quantum in se est, nul-

loque modo ad restituendum obligatos. Excelsam hanc cogitationem esse, probat seipso Filius Dei, mortuus propter peccata nostra, accusatus ex confictis criminibus, damnatus, &c. 6. Contentissimum esse quovis etiam ignominiosissimo, molestissimoque officio, à Superioribus injuncto, omni item loco, Superiore, cubiculo, &c. Sicut Filius Dei contentus fuit permolesto circa peccatores salvandos officio, latibulo Ægypti, & Nazarethano; contentus autem Præsidibus, quamvis sceleratis, suisque persecutoribus.

Alterum caput, excelsarum cogitationum Filiis Dei usitatarum, est, pati cruces omnis generis, & à toto universo; pati omnes permissiones Dei; omnes omnium dæmonum insectationes; omnes omnium hominum injurias; pati in corpore & anima, in fama, & quibusvis aliis bonis; pati per linguas, calamos, suspiciones, judicia, murmurationes, irrisiones, &c. pati autem innocenter, sine murmuratione, sine appetitu vindictæ, etiam à Deo faciendæ; pati quamdiu libuerit Deo. Caput hoc excelsarum cogitationum summum obtinuit gradum in Filio Dei passo in carne nostra, ad cujus imitationem hortatur nos primus ejus in terris Vicarius. 1. Petri 4. *Christo passo in carne & vos eadem cogitatione armamini.* Per talem cogitatio-

nem, resolutionemque citissime ad præaltum perfectionis fastigium pertingitur, juxta effatum S. P. N. Ignatii, qui Patri Hieronymo Natali quærenti, quâ viâ citò ad perfectionem venire posset? respondit: *si eum, Dei beneficia, multa pati contingeret*: Quæ verba, fundens lachrymas S. Pater dixit Patri Natali, & is postea Fratri nostro Paulo Cicotto, viro integerrimo, qui idem retulit R. P. Lancicio, ut ipse scribit in *Opusc. oct. coll. c. 22.*

Tertium caput excelsarum cogitationum, in Filiis Dei reperiri solitarum, est, *omittere*, seu negligere, hoc est. 1. Nullam laudem aut gratitudinem ab ullo, pro quacunque re, sperare, desiderare, aut de ea oblata complacere. 2. A nullo ex Superioribus, æqualibus & inferioribus, ullam suâ rationem respectumque ob ætatem, officia, merita haberi velle. 3. A nullo hominum consilia sua, intentaque probari velle. 4. Apud nullum hominem gratiam aucupari, quærere, curare, nolleque, ut ulla creatura se amet, sed potius omnes oderint, in doloribus suis gaudeant; gemitus suos non curent. 5. Silere in delationibus & accusationibus, nec se excusare ullo modo, nisi in damnum gloriæ Dei, bonique communis cedat. Nunquam item afflictiones suas ulli exponere, nec desiderare, ut innocentia

sua ab aliis sciatur. 6. Ab omni officio etiam & actione, in ipsa ultima manûs etiam impositione, ad nutum Superioris statim recedere etiam cum ignominia, & aliorum insultatione. 7. Sibiipsum non compati, nullumque dolorem promerere. 8. Nullam commoditatem ex ulla creatura quærere. 9. Nihil coram alio in laudem suâ narrare, sed penitus se & sua nescire velle. 10. Nunquam inquirere de appellatione suâ ad aliquod officium, & nescire omnia ad se non pertinentia. Tales omissiones & neglectus fuerunt in Filio Dei, qui non solum neglexit, sed etiam exinanivit semetipsum: cujus altissimo exemplo adjungo, exiguæ appendicis instar, id quod legi in manuscriptis Patris Gasparis Druzbecki, de P. Laurentio Susliga, celebri olim Concionatore, qui cum à quodam Provinciali ex cathedra Leopoliensi, in qua coeperat concionari, amotus fuisset, & missus esset Luceoriam ad idem officium, eamque humiliationem, ut illi à quibusdam insultabatur, moderato ac Religioso animo tulisset, in eo ipso loco à Deo maxime exaltatus, & tam regno, quam Societati ostensus fuit; cumque ex illo loco esset abiturus, vidit in somnis B. Virginem cum puero Jesu. Qui ait illi: *Pete à me, quidquid vis: tum ille Mi Domine, quid petam aliud, quàm ut tecum sim in eter-*

num! repondit puer JESUS: Eris: ait ille; Domine, non satis credo, nam sum miser peccator: tum Dominus JESUS: Do tibi, inquit, manum meam, quod futurus sis mecum in æternum: Apprehendit ille manum sanctissimi Pueri, & evigilavit. Hæc ex ipso Patre Laurentio audivit P. Gaspar 1623. 27. Novemb. Godovii, ubi simul manebant tempore pestis Lublinensis, & loquebantur de illo genere viæ & vitæ spiritualis, quod *negligentia* appellatur; quæ est cogitatio Filiorum Dei, seu eorum, qui cum JESU Filio Dei futuri sunt in æternum. Dum, Religiose, cogitationes has legis, ita lege, ut eas habeas, si Filiis Dei vis adnumerari.



DIEI SEXTÆ
MEDITATIO III.

*De eligendo vitæ perfectæ, in
Religione, statu.*

Modum electionis faciendæ proponit S. P. N. sub finem Hebd. secundæ.

ORATIO PRÆPARATORIA, &
PRÆLUDIUM I. Ut in Med. prima, diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo